

F. K.
11732

*De libertate vera
atq. vera*

*de Libe
erlece*

X 1864237

II f
1176

Q. D. B. V.
DE

PIORUM DISCIPU- LORUM MUNERE ET OFFICIO

Quatuor præclaræ indolis
DISCIPULI,

*Cras DEO Volente ,
erit XIV. Junij,*

Finitis Sacris pomeridianis ,
Verba facturi sunt,

QUOS

ut
DN. PATRONI ET MÆCENATES
auscultationis & favoris beneficio
dignentur,

maximo rogat opere

JONAS GELENIUS
Scholæ Dresd. RECTOR.

Scaliger Epidorp. lib. 1. p. m. 100.

Non est, moderata ordine, servitus bonorum.
Qui legibus obtemperat, hic imperat ipsis.

Id. ib. p. 101.

Tu, nolo, putes libera, quæ licentia sunt.
Parere DEO, & legibus, esse liberum hoc est.



DRESDÆ,
Stanno MATHESIANO.





Vod in mundo clarissimum illud cœli lumen Sol; quod in corpore hominis divina illa auræ particula anima, id in vita humana libertas est: quemadmodum enim corpus hoc nostrum quod & sentit, & movetur, videt præterea atq; audit, hoc non abs sese, sed anima habet; ita vita hæc nostra, non spiritu ipso, sed honesto & tranquillo usu fructuq; ejus, qui e medio sublata libertate nullus est, metienda venit. Quocirca inæstimabile hoc bonum, imo vitæ vitam nemo bonus nisi cum anima simul amisit, ut Sallustii mea faciam. Libertatis autem nomine non periculosam quidvis ex arbitrio agendi intelligo licentiam, sed statum legum ac morum disciplina ritè temperatum, quò efficitur, ut nullius potentia sit supra leges, sed ut imperantium potestas ab immodica dominationis cupiditate, ad patriæ autoritatis temperamentum; Ita parentium turba ab immoderata libertatis affectatione, ad debitum obsequii cultum revocetur. At nos ut pridem vera rerum vocabula amisimus, & scelera specioso virtutum tectorio incrustamus, ita libertatis prætextu in te-
 tram sæpe prolabimur licentiam. Quemadmodum enim apud Tacitum fœda theatralis voluptas Neronis nomine exercitii & incitamenti ingeniorum, & decore lætitiæ excusatur; ita licentia sæpè libertatis specie nobis imponit nosq; in præcipitia errorum agit. Replicantibus annalium volumina, me DEUS! quæ quantaq; patrâsse referunt Principes, quibus specioso libertatis nomine libido sua vivendi fecit auspiciam & voluntas pro omni ratione dominata est: dum enim & leges, quibus intra gyrum obedientiæ mortalitas coercetur, infra dignitatem suam positas existimavere, in eam ingressi sunt vivendi licentiam, quam cum legimus, laborare penè annalium fidem existimamus, adeò & à naturali lege descivere, ut omni verecundia profligata, ne latebras quidem sceleri quæsierint. Vel ex unico Nerone documentum hujus rei, triste seculo suo, detestandum posteris, capere liceat, qui specie libertatis tot tamq; nefariis flagitiis sacrum caput suum devinxit, ut nomen ipsum Neronis si quis fando accipit, non hominem, sed detestabile atq; probro humani generis tartarea caligine editum monstrum animo menteq; concipiat. Non sane hodie tam miserandum Gallicæ crudelitatis Palatinatus inferior cum vicinis provinciis esset theatrum, non tot horrendas cades, tot deploranda elegantissimarum Urbium excidia, non tot plus quam barbaræ feritatis videret exempla, nisi magnus ille Gallorum, ut suis audit, Monarcha, & *felix terrarum prado*, quemadmodum eleganter Alexandrum M. Lucanus appellat, magnitudinem fortunæ suæ peccandi licentia metiretur, & quicquid liberet, pro licito judicaret, usu exprimens Tyridatis illud Armeniæ Regis barbari verè barbarum: *sua retinere privata domus, de alienis certare, regiam esse laudem, idq; æquius esse, quod validius.* Et veterum Gallorum: *Se in armis jus ferre & omnia virorum fortium esse.* Cujus utinam μεγαλοπρεπὲς consilia eum sortiantur exitum, quem in sapienti illa Oratione minimaq; Scythica Scythæ Alexandro inculcant, dum, nimirum, ad culmen venire homines contendunt, eos una cum ipsis ramis, quos apprehenderunt, decidere. Non

Lib. 10. v. 21.

Tacitus l. 15, Ann. c. 1.

Liv. l. 5. c. 36.

Curt. l. 7. c. 8.

Non autem intra potentium tantum culmina licentiæ probrum, libertatis vestitum crocota, hæret, latius defluxit malum, & vel in ipsa humilis atqve obscuræ multitudinis nebulosa dimanavit gurgustia. Ut enim bellua hæc multorum capitum, ita Flaccus eam appellat, corpus est sine pectore, eiqve ut Cicero scribit pro Planco, non consilium inest, non ratio, non discrimen; ita Q. Curtio teste, *nullum profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, si nova & brevi duratura libertate, quæ licentia potius est, luxuriat;* cumq,, ut eleganter Megabyzus apud Herodotum in Thalia inquit, natura insit populo ut nihil intelligat, quin potius fluminis instar rapidi ad agendas res sine consilio præcepsruat, hinc videas eum sæpe libertatis excusatione in gravissimas exardescere seditiones, quas tamen deflagrante paulatim furore suo plerumque sanguine luere consuevit: Causam si quæras libertatem oppressam clamat, sublata jura queritur, intolerabiles Magistratum exactio- nes ingeminat, sanguine suo potentium fastum, libidinem, luxum, ambitionem ali & foveri vociferatur; re autem vera, ut plurimum, haud semper dixerim, male feriatam plebem ad furores hos sollicitat licentia, virtutis, ut ille ait, noverca omnisq; nequitiaë magistra. Libertas enim illi, si diis placet, est multa & in DEUM & in homines impiè nefarièqve committere, omnia repagula juris, pudoris & officii perfringere, & ut verbo absolvam, in omni genere & flagitiorum & scelerum se volutare, ita ut nec pudor libidinem, nec metus malitiam refrenet coerceatq;, sed spes impunitatis, peccandi, ut Cicero inquit, illecebra ad nihil non maleficii designandi torrentis in modum abripiat. Atq; utinam non ipsa etiam Musarum domicilia cancri instar latius indies serpentis malum hoc invaderet, & detestanda hæc licentiæ opinio, quam libertatem malefani putant, teneros juventutis animos tanquam pestilenti quodam sidere afflaret! Nam & in his invenire est impudentes, an imprudentes dicam adolescentes, qui libertatem legibus circumscriptam licentiæ usu corrumpere nituntur, suoq; ingenio pro lubitu uti volunt, quasi libertas esset servire voluptatibus, quæ tetra potius servitus est: Hinc videas cirratulos & comtulos hos, aut non bene alibi institutos, aut corruptos ab aliis, frena cupiditatibus laxare, ætatis suæ florem ad omnes libidines divulgare, in comestationibus, ludis, amore turpi bonas horas, literarum studio debitas, contere; servile putantes præceptoris dicto obedientem esse, aut puerile, audire docentem. Præsertim si qui ex ephebis paulò processere longius, finitam autumant, obsequii gloriam, adesse robur juventæ, exuendum itaq; trivialem magistrum, subducendamq; ferulæ manum neq; præbendas suras amplius. Sed, o boni, non hæc libertas, verum effrenis est licentia, quam vos falsa imagine decepti, specioso nomine libertatem appellatis, quæ miserrimus servitutis famulatus est. Vera ac solida libertas est, parere bonis legibus, idq; non formidine pœnæ, sed amore virtutis & honestatis, adeoq; libenter & volente animo recta sequi, gaudere officio, omni observantia complecti Magistratum, sub cujus auspiciis tranquilla Musis otia sunt; revereri Præceptores, quorum paterna cura animi formantur, eiq; nativa labe ac tenebris ad decus, ad rectitudinem educuntur. Legum omnes servi sumus, inquit Romana Siren Tullius, ut verè liberi esse possimus. Hæc est illa sublimis & excelsa libertas, quæ qui præditus est, rectius gloriari potest Regem se esse, quàm quisquam timendorum Regum, qui turpe libidinis suæ mancipium est: leges siquidem jura & vincula sunt humanæ societatis atq;

l. 10, c. 7.

Orat. pro
Cluent.

omnis

FA II 1176
omnis libertatis fundamentū, quarum nutu & auctoritate homines docentur libidines habere domitas, cupiditates omnes coercere, omnia deniq; alia agere, quæ ad salutem vitamq; hominum & quietam & beatam pertinent. Hæc est illa mens, quæ per universum naturæ corpus diffusa gentes ac populos regit; hic Spiritus vitalis, sine quo nec civitas nec rerum natura omnis stare potest, ut passim docent civilis prudentiæ Consulti. Et certe sicubi bonis legibus sua constare debet auctoritas, eorumq; sanctionibus honesta disciplina custodiri, id cum primis in Scholis fieri debet. Ut enim agricolæ novellas arbores summâ diligentia palo adstringunt, quin & degeneres præorto & recurvato capite flectunt, ne obliquæ ferantur, & a sperata fructuum felicitate excidant; sic & juvenus maturè disciplina vincienda est, ut severa & forti lege proficiat, neq; falsa morum dulcedine corruptelâque depravata de spatio curriculoq; honestatis deflectat, quoniam illa totius Reipublicæ plantarium est, ab ejusq; institutione illius salus civiumq; incolumitas promanat. Quare ut optimo cuiq; Magistratui præcipua semper cura fuit, non tantum introductione fidelium Præceptorum, qui benigno ingeniorum fotu posteris etiam temporibus profint, Scholæ suæ prospicere, sed præterea salutari legum disciplina redundantem & se superfundentem juvenutis cupidinem reprimere: ita laudatissimus etiam Scholæ nostræ Magistratus, non solum de idoneis Scholæ suæ providit Præceptoribus, sed insuper etiam saluberrimis atq; utilissimis eandem munivit legibus, quibus evaganti juvenutis licentiæ frena sunt injecta, & luxu ac lascivia perire cupientibus potestas interclusa: tantum verò abest, ut bonæ indolis adolescentes eò absterreantur, ut potius suò id maximò fieri emolumentò agnoscant, & aliquando grata mente deprædicent, quos & in posterum quoq; in hac virtutis perrecturos via spretisq; laudabili superbia malorum lenociniis, mentes ad obsequium, ad modestiam, ad verecundiam composituros confidimus, quò parentibus olim gaudio, sibi honori, præsidio amicis, patriæq; ornamento esse possint: qui verò pietatis ac modestiæ fines transgressi Scholasticam disciplinam evertere ac perfringere audebunt, illi sciant non defuturam Magistratui & potestatem & animum ad compescendam efferam illorum libidinem, & depellendam nubem illam & caliginem erroris, qui recti iudicii rationem illis heberabit omnemq; prospectum honestatis adimet. Sed non expectabunt illi, speramus, severioris pœnæ documenta, quin potius moniti meliora, salutaribus Præceptorum parebunt consiliis, ne, cum non proletaria sint hac in Urbe literarum studiis proposita præmia, iis sese reddant indignos, suisq; moribus improbis omnem futuræ felicitatis spem, laudisq; expectationem sibimet ipsis intercipient. Quod eò facturi sunt alacrius, si condiscipulorum suorum monitis, quæ nunc in medium pro ingenii sui quisq; modulo allaturi sunt, vacivas aures præbuerint, quorum

I. Gottlob Selbstmann/ Palæo-Dresd. id quod cum legibus convenit divinum adeoq; summam libertatem esse docebit.

II. Johannes Georgius Schreger Pirnensis, ad sedulam & ardentem Numinis invocationem hortabitur.

III. Joh. Fridericus Lucius, Dresd. ad diligentiam & industriam inflammabit.

IV. Joh. David Heidenreich/ Cmelensis Misnicus ad concinnam morum venustatem & procandum bonorum omnium favorè extimulabit.

Quos etiam ut Vos PATRONI & MÆCENATES virtute, fama, doctrina, meritorumq; gloria illustres benignè audire eorumq; ad præclara quæq; surgentes animos favore vestro sustentare dignemini, quâ decet pietate oro & obtestor, quantumq; in tenues meas vires cadit, animum gratisimum polliceor. P. P. Dresdæ Idibus Junii

M. DC. LXXXIX.

nc



Vod. in mundo clarissimum illud coeli lumen Sol; qvod in corpore hominis divina illa auræ particula anima, id in vita humana libertas est: qvemadmodum enim corpus hoc nostrum qvod & sentit, & movetur, videt

metienda ve
tam nemo bo
am. Liberta
agendi intel
ritè temper
sed ut imper
ad patriæ au
moderata li
cetur. At
specioso vir
tram sæpe p
citum fœda
menti ingen
tatis specie
tibus annali
ferunt Prin
di fecit ausp
enim & leg
infra dignita
vendi licent
existimamu
profligata, i
Nerone do
steris, caper
sacrum capu
accipit, not
tartarea cal
sane hodie
or cum vic
tot deplora
barbaræ fe
audit, Mor
ganter Ale
sua peccan
caret, usu e
barum: s
am esse la

Lib. 10, p. 21.

Tacitus l. 15, Ann. c. 1.

Liv. l. 5, c. 36.

Curt. l. 7, c. 8.



non absese, sed ani
c nostra, non spiritu
anquillo usu fructuq;
a libertate nullus est,
bonum, imo vitæ vi
at Sallustii mea faci
n quidvis ex arbitrio
ac morum disciplina
entia sit supra leges,
inationis cupiditate,
entium turba ab im
bseqvii cultum revo
amissimus, & scelera
ertatis prætextu in te
odum enim apud Ta
e exercitii & incita
ta licentia sæpè liber
orum agit. Replican
quantaq; patrâsse re
nine libido sua viven
e dominata est: dum
mortalitas coercetur,
eam ingressi sunt vi
penè annalium fidem
ut omni verecundia
rint. Vel ex unico
uo, detestandum po
tamq; nefariis flagitiis
Neronis si quis fando
obro humani generis
teq; concipiat. Non
tis Palatinatus inferi
tot horrendas cades,
dia, non tot plus qvàm
ille Gallorum, ut suis
qvemadmodum ele
agnitudinem fortunæ
iberet, pro licito judi
regis barbari verè bar
alienis certare, regi
alidius. Et vete

rum Gallorum: *Se in armis jus ferre & omnia virorum fortium esse.* Cujus utinam *μεγαλοδουβoλα* consilia eum sortiantur exitum, qvem in sapienti illa Oratione minimaq; Scythica Scythæ Alexandro inculcant, dum, nimirum, ad culmen venire homines contendunt, eos una cum ipsis ramis, qvos apprehenderunt, decidere. Non

